This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

870.5
S78

A 858,133

Studien - De sermone Lucretiano



~~THE GIFT OF~~
Purchase

DE
SERMONE LUCRETIANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

ET

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM
ORDINI

IN UNIVERSITATE LITTERARUM IENENSI

PROPOSUIT

CAROLUS G. L. STAEDLER

BEROLINENSIS.

IENAE, 1869.

TYPIS RATII.

Cum de sermone poetae disserere instituimus, non id sequimur, ut formae uariae grammaticales regulaeque syntaxis ab illo adhibitae obseruataeque in unum quasi locum conferantur, id quod altera ex parte Holtzii opera [Syntaxis Lucretianae lineamenta] iam prope effectum esse uidemus. sed patefacere studemus singularem quandam linguae speciem eam, quae Lucretii carminibus praestatur quaeque continetur non tam normis singulis uocabulorum flectendorum et inter se coniungendorum quam ratione ipsis normis illis utendi siue seuera aut remissa, siue artificiosa et concinna aut liberali et quasi naturali, ne dicam rudi incultaue. at ut recte possit demonstrari, quam rationem Lucretius secutus sit, primum quidem quaeritur, an linguam, qualis in hominum ore usuque cotidiano uersabatur tum cum carmina componeret, immutasse uideatur.

Quas igitur normas ac regulas saeculo a. u. septimo homines in latine quidem loquendo sequebantur, metri gratia migrasse T. Lucretium ueri simillimum est. hic enim quod rerum naturam carmine illustrandam sibi proposuit, quantis difficultatibus in opere fuerit obiectus non fugiet cogitantem, poetae illius materiae propter sententiarum conexum seueritatemque argumentationum ne minimum quidem licere cursum orationis deflectere, ut metro alicui contrario consulat. sed magis etiam idem probabile fit ipsa

159958

metri tractandi ratione. etenim Carus, quamquam Annalium auctorem arte uersus perpoliendi limandique aliquanto superat, longe inferior inuenitur in eadem re Marone uel ipso Nasone. nouissimus enim Lucretiani poematis editor Munro [in commentario suo p. 321 sqq.] artificia non nulla poetae nostri proposuit. haec autem ut declarant, eum aurium iudicio minime fuisse destitutum, ita ostendunt, quae obseruantiae subtiliores in carmine fingendo aetate posterioribus sint probatae, non obtinere eas apud Lucretium. sed quibus maxime rebus claudicent illius carmina L. Mueller in libris suis de re metrica poetarum latinorum conscriptis indicauit, potissimum libro tertio. inde perspicitur, caesuris eum abundare minus elegantibus uel minus eleganter inter se coniunctis, tum non satis studiose cauisse, ne in ordinum duorum ex caesura prouenientium finibus numeri sinceri atque integri laederentur spondeis in dactylorum locum admissis. quo pertinet uersuum qui dicuntur spondaicorum usus crebrior, cum ipse poeta uel diaeresi adhibita uu. III 330 704 813 uel constructione singulari IV 1054 'obversatur ad auris' pro communi illo 'auribus obuersatur' uel eo quod toto libro sexto nullum eius generis uersum effinxerit, sat aperte declaret, se spondiazontes modice tantum uoluisse proferri. quamquam ei euenerunt numero XXXII. denique eundem uerborum collocatione peccasse discimus, qua iterum atque iterum in uersibus eius factum sit, ut in fine hexametri dissentiant accentus grammaticus et rythmicus. saepissime enim accidit apud Lucretium, ut claudatur uersus uerbo monosyllabo, bisyllabo uel polysyllabo praecedente. alia nunc leuiora ac subtiliora omittantur, ex illis quae modo commemorauimus iam licebit conicere, cum et metri et linguae ratio artissime inter se cohaereant, ita ut non pos-

sit alterum emendari alteram deprauari potius quam hanc in meliores partes illud cedere in deteriores: aeque licentem fuisse Lucretii modulum in uocalium et synizesi et diäeresi, tum in elisione syllabarum finalium, ut qui uel in is et us breue exeuntium uocabulorum postremam litteram consona sequente plus LX locis interimat, in uerbo quod est famulus sequente uocali tertiam syllabam ipsam semel [III 1033] auferri passus sit. tum quod in uerbis compositis praepositionem uiciens septiens disiunxit, disyllabam quidem I 318 III 262 858 876 IV 386 829 945 V 287 299 880 1372 VI 332 1065, monosyllabam I 452 651 II 154 394 1104 III 343 482 IV 560 884 1141 1242 V 1266 VI 394 456 570 — numeri ad Bernaysii editionem respiciunt — non erit cur haereatur, nec magis quod et in consonarum quae dicitur positione et in uerborum quorundam mensuris inconstantiorem sese praestitit latiusue paulo indulsit sibi contractionem et syncopen. singula cuiusque generis exempla leguntur passim apud L. Muellerum [l. l. p. 246 sqq. tum ib. p. 317 sqq. 353 sqq.], continuo sermone perstrinxit Bouterwekius in quaestionum Lucretianarum grammatt. et critt. cc. II. III. hae uero res omnes, cum positae fere sint in solis elementis syllabisque siue coniunctis siue discerptis planeue sublatis, quaeritur an declinationem uerborum nominumque itemque syntaxin poeta sustinuerit prae numerorum cura negligere siue ad suum arbitrium immutare. igitur cum nota sit Munronis sententia [explicata l. l. pp. 317 319] colorem quendam antiquum et dictionis et sermonis carmini inditum esse a Lucretio, quo satisfaceret nescio quibus officiis poeticis, inquirendum primum, an quae flexurae obsoletae apud illum occurrunt, metricis de causis admissae possint uideri, deinde an alia uetustatis uestigia inueniantur

eius modi, quae de industria ac consulto a poeta arcessita esse probabile sit. — at ut prius illud propositum absoluamus, in nominibus substantiuis et adiectiuis quae deprenduntur suffixa syllabarum aut mensura aut numero distantia a postea usitatis haec fere sunt apud Lucretium.

Genetiuus singularis primae declinationis ai suffigit substantiuis quidem tam saepe, ut uix dimidia pars uerborum in ae casum hunc terminet. contra ex adiectiuis quattuor tantum extant cum suffixo bisyllabo II 52 purpureai III 687 gelidai IV 535 nigrai VI 1136 ferai, ceterum illud breuius in his quidem nominibus praeualet. uerum cum inter omnes uoces huc quidem pertinentes pro toto numero perpaucae hae flammai formai Iphianassai horai irai linguai lunai nigrai parmai scaenai summai taedai terrai uitai in fine hexametri aut omnino aut aliter non possint collocari, quam ut spondaicus oriatur — nec deest uersus cadens in uerbum quod est naturai — cumque ex reliquo numero in mediis uersibus inueniantur sex tantum modo, nouem locis I 84 Triuiai I 41 patriai VI 1070 aqũai III 654 IV 885 917 922 animai III 687 gelidai IV 76 caueai: ceterae omnes uersum concludunt, ut ipso suffixo sexta hexametri sedes conficiatur. quodsi his locis omnibus suffixum monosyllabum locum haberet, uocabulum etiam addendum erat, quo metrum expleretur, nisi forte enclitica illa 'que ue', quorum illud saepissime in uersuum exitu legitur, adiciuntur — nec profecto desunt 'animaeque operaeue'. hinc nunc uersibus iis, qui definiunt uoce monosyllaba bisyllabam uel polysyllabam sequenti, iam accessurum esse numerum prope innumerum, quis est quin intelligat? quos etiam si minus spreuerit Lucretius, tamen hac in re probasse eum dicemus, se uitiosam illam accentus grammatici et rythmici dissensionem pluribus xemplis proferre noluisse.

Secundae autem declinationis casum patricum in 'ii' desinentem nisi in adiectiuis non adhibuit Lucretius, puta illud quod est patrii bis in carminibus occurrens [I 832 III 260]. contractione usus est in substantiuis, ut graeca omittam 'absinthi centauri conchyli Aegi', his fere dispendi II 1127 fauoni I 11 incendi VI 673 Memmi I 42 remedi VI 1223 stilicidi I 313 [cf. Buecheler Grundr. d. Lat. Decl. p. 37 sq.]. itaque genetiuum in huius modi uocabulis poeta consilio uitasse uidetur, cum totis libris III. IV. V. omnino non admiserit. in reliquis autem libris qui extant, contractionem in i longum metri causa subierunt. sed 'remigi' si legatur VI 743, id quod Bernaysio quoque placuit, hiatus fit cum ultimae correptione more graecanico. quam ob causam ex illo librorum mss. 'remigio' nec 'remigi' nec 'remigii' restituendum esse uidetur, cum Lucretius creticorum elisione prorsus abstineat, uidetur 'remigium'. nam primum quod alterum eiusdem hiatus exemplum inuenitur VI 716 'qui etesiae esse', fit ille quidem in uerbo graeco nec ullo modo siue correpta siue producta syllaba altera ad metrum apto, cum id quod est qui inde ueniam habeat, quod L. Muellero teste [l. l. p. 284] Lucretius non magis quam quisquam dactylicorum monosyllaba plane absorberi elisione passus est. deinde uerbum quod est obliuisci quin Lucretio licuerit cum accusandi casu coniungere dubium non est, praesertim cum hoc loco idem ualeat atque intermittere. quibus de causis quare absurda sit illa scribendi ratio 'remigium oblitae pennarum' non possum intelligere.— restat ut pauca afferantur de genetiuis secundae in um siue uom pro communi illo orum cadentibus. hic quoque ex suffixo breuiore poetae id fructus capiebant, ut pro trochaeo unam moram uel potius, quoniam nusquam nisi ante consonas illis suf-

fixis usi sunt, pro spondeo unam longam substitui liceret. quae utilitas si cui leuior uidetur uel compensari incommoda quarti casus singularis similitudine, Lucretius breuius illud nusquam adhibuit in adiectiuis et pronominibus, excepto illo nostrum [VI 655], raro in substantiuis, ex quibus 'deum diuom uirum' passim leguntur, reliqua singulis tantum locis [I 200 III 73 V 883], bis cum inueniatur 'squamigerum' II 343 1083. contra nomina quae dicuntur gentium, ut quae plurali numero plerumque adhibeantur, non nisi breuius illud um adsumserunt, sunt autem haec Chaldaeum V 725 Danaum I 86 Graium II 600 V 405 VI 754 Molossum V 1061 Siculum VI 642. at in primae declinationis uocabulo unicum est I 1 'Aeneadum'. — porro uocabulis iis, quorum stirpes desinunt in consonam qualemcunque aut in uocalem praeter e, genetiui pluralis suffixum um non ium tribuendum esse Buecheler l. l. p. 40 docuit. itaque Lucretius cum extulerit 'animantum salutantum meantum sapientum balantum parentum pennipotentum uolantum canentum uenantum amantum salientum infantum caelestum', inusitato iam pridem illo in adiectiuis et participiis tertiae suffixo metri necessitate adductus usus est.

Iam dandi casus quartae declinationis nusquam inuenitur 'ui' suffixo auctus, deciens cum adsumat u his quidem locis II 408 tactu III 969 usu IV 707 uisu V 101 uisu VI 778 adactu 779 tactu 780 aspectu 782 sensu 1148 motu tactu. quibus uocibus iambicum suffixum si tribuatur, iustum ac sincerum creticum effici a metro heroico alienissimum uix opus est dicere. — postremo sextus casus tertiae declinationis in substantiuis quidem non nunquam i habet pro e. nempe iis uocabulis, quorum stirpes in i uocalem aut in consonam qualemcunque exeunt, quae uocabula pa-

rem fere inter se flexurae rationem sequuntur, ablatiui suffixum antiquissimum 'id' vel 'ed' longum Buecheler l. l. p. 49 sq. tribuit. quae omnia exceptis perpaucis inde a saeculi a. u. sexti fine iam in e correpto desiuisse. idem ille demonstrat ib. p. 51. igitur Lucretius cum haec scripserit 'bili colli fini Heliconi igni imbri labi lapidi luci morti mucroni nubi orbi parti pelli rationi sordi tripodi', a communi suae quidem aetatis consuetudine, quam ipse praeterea uel in iisdem uocabulis obseruauit, prorsus deflexit. nunc quoniam alterum suffixum productam alterum correptam efficiat syllabam, etiam si quis de substantiuis dubitabit, quid poeta hoc uel illo adhibendo spectauerit, consideret Lucretium ne in participiis quidem in ns cadentibus pepercisse illorum suffixorum usui permixto sine ulla sensus uarietate, ita tamen ut in his quidem aeque atque in adiectiuis i suffixum alteri proferret. itaque cum legamus III 655 'lingua uibrante minanti cauda' metri maxime rationem habuisse Lucretium nemini non erit persuasum. conferendum etiam 'e mare' I 161 ut in uersibus diligenter elaboratis, ubi ne creticus heroico uersui ineptus fiat, constat 'e' pro 'i' euenisse.

Sed ad uerborum suffixa obsoleta ut transeamus, Lucretius in passiuis infinitiuis ier pro illo quod est i adeo adamauit, ut haud minus XLV locis admiserit, maxime in uerbis tertiae coniugationis. quamquam ne reliquarum quidem desunt exempla. uerum quod totiens eius modi infinitiui occurrunt apud hunc, ut e. g. inter CXV primi libri infinitiuos praesentis passiui nouem tantum modo inueniantur cum suffixo illo uetusto, inde iam apparet, ad certum finem poetam retulisse maiorum sermonem. igitur cum alterum una producta alterum duabus correptis contineatur syllabis,

cumque in uersu heroico huic metro illud ubique possit substitui praeter quam quod in quinta sede licentia haec certis finibus circumscripta sit, Lucretius longe plurimis locis [I 207 395 647 710 796 802 905 1088 II 927 1029 III 67 263 443 621 868 IV 315 435 478 931 V 51 475 728 931 977 1021 1248 1377 VI 18 21 291 556 901 913 1058] suffixum illud ier in quinta thesi collocauit. qui supersunt infinitiui nouem, undecim locis, cum hi 'moderarier gignier' bis singuli occurrant, plerumque hexametrum incipiunt [I 1059 IV 43 849 931 V 714 1197 VI 807 tum V 166 1296 1310 VI 246]. ex quibus octo priores possunt esse adhibiti, ne spondiaca uoce constaret primus aut quartus pes, id quod etiam minus placebat quam dactylica uox in his quidem sedibus collocata. itaque Lucretius quamquam neutro uitio plane caret, tamen illi priori longe saepius quam alteri parcebat. denique tribus nouissimis locis, quos supra attuli, illud ier pro i admissum cauet, ne uox spondiaca eueniat, quam item Lucretius multo diligentius dactylica uoce euitabat in secunda uersus sede. — iam de reliquis formis maxime nos aduertent imperfecta quartae in 'ibam' pro 'iebam' illo peruolgato desinentia. cuius rei exempla sola legimus apud Lucretium V 931 946 950 956 994 1001 1322 VI 1238 in uerbis quae sunt scio accio saeuio haurio poenio, cum tamen inueniantur 'conueniebat moriebantur deripiebant fugiebat apsiliebat' uel in eadem descriptionum serie atque illa obsoleta. qua re declaratur, poetam ea non fuisse prolaturum, si metrum heroicum creticos recepisset. nempe amphimacer quoque fit, 'sciebam' si dicas, quoniam quamuis breuis syllaba praecedens producatur necessest sequente sc.

Iam de ceteris uetustatis uestigiis acturi in omnium numero nullum inuenimus, quod de causis metricis adscitum

esse possit, praeter unam praepositionem illam indu. quam in iis potissimum compositis aut ante tales uoces poeta admittebat, quae cum a consona incipiant, primam syllabam correptam alteram productam habeant, puta 'gredi pedire perator manus mari'. unde perspicitur Lucretium, cum diceret 'induperator indu manus' et quae sunt reliqua, nihil aliud egisse quam ut creticos uitaret. loci sunt hi I 82 240 II 102 459 1096 IV 68 316 365 964 V 102 873 1225 VI 453 890 1008. — at alia obsoleta imitationi priorum maxime Ennii deberi, ueri non uidetur dissimilius. hic nunc inprimis monendum est, qua uia ac ratione in superiorum placitis referendis et usi sint poetae latini et uti potuerint. uerum enim uero oportebat recognosci, si quis alterius uerba carmini suo inseruerat, quoniam id si neges, fiet ut uates Romanorum alius alium spoliasse uideantur, quo quisque maiorem sibi ipsi compararent laudem poeticam. igitur nisi bene ac praeclare dicta imitatione effingere non studebant. qua quidem in re id potissimum cauendum erat, ne finibus iustis excessis seruiliterque totis uersibus repetitis species efficeretur miserae inopiae siue uerborum siue sententiarum. quam ob causam cum quis poetarum forte incidebat in eandem rem commemorandam, quam eximie expressam iam in cuiusdam carmine satis celebrato inueniebat, licebat sententiam quidem referre uerbis tamen partim mutatis partim seruatis. hoc autem genus imitationis, uernacule quod dicimus *Nachbildung,* huc minus pertinet. magis nunc ad nos, cum non sententiis sed solis uerbis recentior quis praecessorem in arte clarum referat. quod fieri non poterat nisi uerbis aut ipsis per se propter sonitum collocationem formationem praestantibus aut propterea quod notio aliqua quamuis exigua noue atque egregie

iis significaretur. illud ubi fit, poeta ei qui imitatur, auctor quasi est, si quid audacius proferat et a communi humiliue loquendi consuetudine alienum, hoc ualet ad artis gloriam eius quem imitaris augendam et efferendam recordando. utriusque generis exemplis Uergilius abundat in georgicon libris, si cum Lucretio compares, ut cum alia tum g. I 187 'contemplator' 137 'nauita' 477 'simulacra modis pallentia miris' II 47 'luminis oras' 109 'ferre omnes omnia possent' 170 'Scipiadas' 523 'oscula nati' III 84 'et tremit artus' 416 'mala tactu' IV 64 'cymbala circum' 159 'saepta domorum' 270 'centaurea' referunt uerba Lucretii II 114 V 223 I 123 I 179 I 164 III 1032 III 893 III 847 II 408 II 618 I 489 IV 123. neque desunt sententiarum similitudines inter hos, uerbis quae fiunt ex parte mutandis, cf. g. I 367 II 151 217 247 295 428 478 III 90 IV 515 cum Lucretianis locis II 207 III 739 V 253 IV 222 II 401 I 202 II 650 V 76 749 VI 754 II 600 V 405 II 146. at sola materia concinunt, ne plura afferam, g. I 473 L. I. 723 VI 644 g. II 729 L. II 323 g. III 291 L. I 925. itaque ipsum Lucretium, quoad quidem fieri poterat in re diuersissima, simili fere ratione usum esse in Ennianae artis inuentis referendis, etiam si ne unus quidem Annalium uersus superesset, tamen coniciendum erat. itaque num parui faciendum, quod legimus Ann. [ed. Ua.] 56 tetulisti 139 quamde 161 noenu 386 infit 410 potis sunt 486 super escit 594 potestur, cum occurrant apud Lucretium tetulerunt VI 672 quamde I 640 noenu III 199 IV 710 VI 131 infit III 513 V 1206 potis undeciens, semel pote III 1077, escit I 619 potestur III 1008. his enim ualde probabile fit, uerba quae sunt uomer [I 314] arbos [VI 786] colos [VI 208 1072] uapos [VI 952] cornum [II 388] ningues [VI 736] nauita [V 223] gnatus [IV 1248 VI 13] alsius [V

1013] hilum undeciens, VI 576 perhilum, creper [V 1294] pauxillus [I 835 836 III 229 V 589] tantillus [III 189] priuus [II 685 III 372 378 380 389 IV 258 564] alid [I 263 407 1107 III 968 V 257 1303 1454] clueo [I 119 449 480 II 351 525 791 III 207 IV 46] defit [II 1141 III 220] effiant [VI 761] interfiat [III 870] siet [II 962 1079 III 101 V·531] fuat [II 383 IV 635] potesse [I 665 II 225 1010 III 319] queatur [I 1045] sustollit [IV 904] cohibessit [Lachm. III 444] donique [II 1116 V 706 721 995] quique [II 372 III 698 V 343] quidum [III 736] undique uorsum [II 1053] unorsum [IV 260] pridem [V 331] perquam [III 204] repetita esse ex Ennio, fortasse etiam aut repetita aut ad exemplum ueteris poetae conformata haec uis pl. [II 586 III 265] rabies gen. [IV 1075] lapis gen. [VI 550] tabê [I 806] contagê [III 732] fidêi [V 102] exemplare [II 124] itiner [VI 339] itere abl. [V 651] sanguen [I 837 860] celer fem. [IV 158] sis [III 1223] quis dat. [II 1072 V 868 878] quisque abl. [IV 796] aliae gen. [III 916] ali dat. [VI 1224] uno dat. [III 421] aliquoius [II 1079] ibus [II 88 IV 931 VI 755] ollis undecim locis, noctu [III 383] sub diu [IV 209] protollere [V 309] intellegit perf. [VI 17] adorîtur [III 513] experguntur [IV 1015] expergitus [III 927] metutum [V 1138] sancitum [I 587] partit [V 682] nam id quod legitur V 1151 'reuertit' tempus praeteritum esse potest, cf. 'excierunt' IV 37, nec deest infinitiuus reuerti [I 785 II 130]. denique 'cupiret' [I 71] hoc quidem loco allitterationem adiuuat, cum ea neglecta 'cuperet' dici potuerit solo uerborum ordine mutato sic

primus ut arta
naturae cuperet portarum effringere claustra.

postremo loco commemorentur aduerbia quae sunt duriter [V 1400] largiter [VI 622 1111] longiter [III 674 787 V 133]

nauiter [I 525] uniter [III 837 844 V 537 555 558]. uerum ne quis dicat, liberalius nos illa antiquitatis exempla enumerasse quasi desumta ex Ennii carminibus, non desunt 'ai ier' suffixa in eadem uersus sede apud Ennium atque apud Lucretium occurrentia, u. Ann. 34 122 197 209 551, tum illud 'indu mari' Ann. 425 conferri debet cum Lucr. VI 890. praeterea uersibus Ann. 373 487 Ennii modulum in praepositionibus disiungendis Lucretium secutum esse apparet, quia talia 'seque gregari inque merentes' plerumque fecit, sed dubitari non potest quin in perditis Ennii carminibus fuerint talia ut 'inter enim iectast inter plaga currere circum tribus actis.' exempla omnia contulit atque proposuit Hallier [Lucreti carmina e fragg. Empedoclis adumbrata p. 12]. tum Lucretius cum diceret 'caerula caeli clausa domorum ardua — uera uiai' sexenta alia eius modi, nonne Enniana illa imitatus esse uidetur 'infera noctis' [Ann. 92], aut sibi uindicasse Ennio auctore monosyllaba illa in uersus fine collocanda, si conferamus Ann. 95 cum Lucr. V 215 267 281 389 Ann. 102 211 313 cum Lucr. V 104 323 Ann. 109 410 cum Lucr. V 333, ubi in eadem fere uocabula apud utrumque incidimus? denique uersus spondaicos Ann. 34 174 474 604 comparatos cum Lucr. I 1077 III 191 417, Ann. 2 197 219 373 603 cum Lucr. I 60 64 616 991 plurimis ceterorum, nec non Ann. 539 uel 207 cum Lucr. II 615 309, num diuersam normam referre putabis? quae cum ita sint, Lucretius procul dubio cum in uerborum delectu Ennio permulta debet, tum ex illo desumsit praepositionum post nomina collocandarum modulum, cuius exempla supersunt Ann. 193 'arbusta per alta' 370 'aetate in agenda' 604 'crateris ex auratis'. nam inter plus centum illius consuetudinis exempla LXXIV praepositio-

bas 'in per ad de ex e ab a', duo 'inter' [IV 573 VI 581], unum 'sine' [VI 207] inter substantiuum et adiectiuum aut pronomen qualecunque interpositas exhibent, XIII easdem fere monosyllabas ac 'sine' unum [I 158] inter substantiuum et ex hoc pendentem genetiuum collocatas. considerandum uero, an idem factum sit II 601, mutato illo quod libri mss. exhibent 'curru' in 'currus' et, quae omnibus usque a Lambini temporibus placebat, lacuna sublata. ceterum, adiectis etiam uu. III 353 VI 110, bisyllabae quae sunt 'apud penes super supter tenus ultra' singulis locis, 'ante contra ergo praeter' binis, 'inter' quattuor, 'propter' quinque, 'circum' sex, totidem 'procul', denique 'insuper' [VI 1282] ita adhibitae sunt, ut substantiuum aut pronomen insequantur, nullo addito siue adiectiuo siue pronomine. idem in monosyllabis committitur 'e per' binis, 'ex' quattuor locis, at 'secum nobiscum' illud bis [III 233 IV 1274] hoc ter [I 114 1066 IV 317] haud saepius leguntur, nec usquam praeterea 'cum' praepositionem pronominibus affixam inuenimus.

Iam uero imitationes eae, quae fiunt in uocabulis notionem aliquam eximie exprimentibus quasque Lucretius ex Ennii carminibus desumsisse uidetur, perplurimae et hae quidem occurrunt pro materiae differentia et Annalium traditione lacunosissima. ac profecto, ut omittam adiectiua stirpes duas continentia quaeque crebriora sunt apud utrumque, puta 'frugiferens frondifer terriloquus' alia: praeter Ann. 274 'doctis dictis' ib. 162 'stellis fulgentibus aptum', quocum conferas uersus Lucretianos V 113 VI 357, exempla leuiora ex ordine proferre longum est. habes autem uu. Ann. 479 290 312 3 291 405 Lucr. I 3 5 13 119 133 141 cet. sed ne significationibus quidem uerborum quorundam minus solitis Ennium referre noster dubitauit. itaque uocabulum

supra quod attulimus 'aptum', qua significatione l.l. extat praeditum, eadem saepius admisit ut II 814 V 925 1426 VI 357, nec longe dissimili sensu II 479 523 IV 826 V 805 uel III 837 844 V 537 555 558, quibus adiciendum 'interapta' VI 1065 nec non et 'coëpit' IV 617, quo loco non tam de premere incipiente quam suscipiente quaestio est, graece ἅπτεσθαί τινος. etenim his locis omnibus id quod est aptus participii, quod uenit ab apiendi uerbo, uim prae se fert. at sensu communi quater adhibitum est IV 667 675 1250 VI 773. aliae uoces obsoleta significatione instructae apud Lucretium extant locis his: dies I 10 233 322 557 II 1105 IV 199 1024 idem ualet ac tempus. orae I 22 179 721 II 577 617 555 1000 III 833 IV 133 213 409 V 85 143 203 224 618 654 778 VI 763 loca quaedam significat certis finibus carentia. saeclum sexus uel generis uim habet I 20 397 II 78 173 1076 1079 1113 1152 1153 III 627 751 965 IV 411 684 1219 V 339 802 847 852 859 863 944 964 980 986 1019 1025 1057 1082 1167 1236 VI 722 766 1107 1111 1218 1234. tum eo quod est templa I 120 1014 1064 1097 II 8 1001 1039 III 25 86 IV 622 V 103 491 521 945 1203 1434 VI 43 286 388 644 670 1225 1276 certa regio locorum indicatur, uerum 'templum' VI 750 significationem principialem seruauit τὸ τέμενος. porro 'abundare' idem atque emanare siue fluere ab aliqua re ualet IV 216 al. ter praepositio additur 'e de' IV 89 143 V 917. 'comptus' I 950 III 259 IV 27 emendi significationem exhibet. 'fungi' sensu aperte passiuo legitur I 441 443 III 168 732 799 811 IV 944 V 358. pergo I 16 932 1080 II 237 347 946 III 422 946 IV 323 non nunquam addito 'quisque' uel 'unus quisque' uel 'omnes' uocabulo praedicat perseuerantiam quandam in eadem re agenda, cum II 478 522 III 178 420 VI 42

progressus indicetur ad rem deinceps gerendam, plerumque in transitione. 'uoluendus' V 516 1274 VI 179 'manendus' III 1073 non ualent hoc 'qui uolui maneri debet' sed potius 'qui uoluitur manetur', cum praesentis ui. 'olim' pro 'illo tempore' est IV 55 VI 148, denique 'ergo' III 78 V 1244 praepositionis quae est 'causa' siue 'gratia' munere fungitur et 'propter' pro eo quod est 'prope' saepius legitur [I 90 316 al.]. haec nunc omnia uocabula pari significatione praedita similiue ratione cum aliis coniuncta in uersibus adhibita esse ab Ennio probabile fit uu. Ann. 110 178 531 520, 'dies templum orae uoluendus' ubi reperiuntur. —

Iam alia uetusti uel minus etiam conformati sermonis exempla afferantur collecta e carminibus Lucretii. incipiemus autem a uocabulis non nullis antiquissimis, quae cum nullis temporibus plane sint reiecta, apud nostrum iterum atque iterum leguntur puta usque [I 352 412 497 553 589 755 cet.] undique [I 256 329 345 985 1007 1042 1051 cet] porro [I 194 254 325 387 426 461 483 508 516 520 577 587 cet.] haud uel haut [I 248 262 357 388 424 427 cet.] item [I 266 534 870 954 cet.] uti [I 215 453 479 539 565 753 cet.] ergo [I 72 364 445 526 538 cet.] super adu. [I 39 65 649 cet.] qui part. [I 168 700 765 II 989 III 56 887 IV 613 631 874 V 233 646 901 VI 411 857] tutemet tute [I 102 269 403 407 cet.] 'cumque' saepissime hoc quidem occurrens, at uocabulo interiecto a relatiuo suo seiunctum I 177 508 873 cet. pacto [I 84 307 568 789 912 cet.] cassus [III 560 979 1047 IV 126 366 509 V 717 755] in cassum saepe. diuus [I 1 12 28 38 158 1015 cet.] cunctus [I 217 589 628 682 cet.] animum aduerto animos aduertere [II

125 III 54 IV 809 cet.] nusquam 'animaduerto'. queo [quis quit quimus queunt queam queat queamus queant quibat quierit quierint quisse I 93 157 300 425 438 517 530 549 571 586 cet.] nequeo [nequeo nequit nequimus nequeunt nequeat nequeant nequirent nequisset nequissent nequibunt I 76 172 193 268 380 587 595 601 607 cet.] aueo [II 216 265 III 6 259 955 1080 1081 cet.] foret forent [I 182 184 242 427 521 542 553 683 cet.] ausim ausis [II 178 982 IV 506 V 196 728 VI 412]. postremo adverbia in im desinentia propter multitudinem digna sunt, quae commemorentur aceruatim [VI 1261] adumbratim [IV 361] articulatim [IV 553] cateruatim [VI 1142] filatim [II 831] generatim undeciens, grauatim [III 387] membratim [III 525] minutatim [II 1131 V 708 723 1291 1382 1432 VI 1189] moderatim [I 323] particulatim [III 540] singillatim [II 153 IV 87 103] summatim [III 261] turmatim [II 119] omitto paulatim. tum uiritim [II 1172] propritim [II 975] contemptim [V 1124] mixtim [I 866 III 564] tractim [III 528 VI 118] raptim [I 662 1098 VI 605] pedetemtim [V 533 1451] furtim [IV 1168] confestim [IV 188 338 V 283] iuxtim [IV 499 1205] uicissim [IV 473 1182 1233 cet.] — hinc proxime transeamus ad enumerationem uerborum non nullorum. quae simpliciter iam desierant adhiberi, apud Lucretium reperiuntur apisci [I 448 VI 1232] patrare [V 385] plicare [IV 825] stinguo [I 486 666 II 828 IV 1090] temno [III 955 V 1236]. at sueo [I 60 301 IV 367] geno [III 795 IV 140] utrumque sine solito stirpis augmento adhibitum est, nam quod ex Lachmanni coniectura duobus locis posterioribus redditum est 'geni genantur', unice facit ad locorum illorum sententiam. sed uerba actiuam formam quae nondum deposuerant, praeter illud 'partit' [V 682], Neue Lat. Formenl. iam haec

collegit: pasco, passim quod inest in carminibus, at depascor III 12, tum adulo [V 1068] labasco [I 537] ludifico [I 939] misereo [III 879], cum extet misereor V 1021, denique pigro [I 410]. sed quod interdum in compositis quibusdam ut 'interemo peremo dispargo conspargo exspargo praespargo' radicis uocalem seruauit Lucretius, nihil aliud quam sonitum spectasse uidebitur cogitantibus ea quae sunt 'adimebant' [V 1289] 'dispergunt' [V 254 VI 839] 'dispersus' [V 661 VI 888] alia. — iam similem inconstantiam atque in genere uerborum ostendit Lucretius in ipsa coniugatione mutanda uerborum quae sunt 'sono lauo ferueo tueor strideo', quae fecit aut solum aut non nunquam tertiam sequentia coniugationem, at 'cimus' I 212 V 211 trochaeum praestat, nec praeterea eiusdem uerbi compositis constat coniugatio. uerum 'potitur' [II 653] non coniugationem solum sed etiam significationem mutauit, cum idem ualeat ac 'possidet'. simul autem uerbi genus constructionis modulum significationem conuerterunt insinuandi et suppeditandi uerba, intransitiue quae leguntur cum actiua forma illud I 409 III 483 V 73 VI 89 385 860 hoc I 547 1040 II 1138 III 729 IV 774 V 293, cum deponentis forma uel passiue prius I 113 II 684 III 669 692 720 727 736 778 780 IV 523 1023 VI 234 276 355 802 955 1030 posterius I 996 II 26 568 1162 IV 188 815 V 1174 VI 1064. contra transitiue extant 'insinuare' I 116 II 436 VI 860 'suppeditare' I 231 III 10 23 V 283 386. plura u. Holtze l. l. p. 118 sq.

Hoc loco ineptum non erit exponere de terminatione plurali tertiae 'is' pro ea quae est es iterum atque iterum occurrenti apud Lucretium. neque uero dubium, quin eodem illo suffixo Ennius quoque usus sit. considerandum igitur,

hac in re illum imitatus sit Lucretius an suae quidem aetatis consuetudinem secutus. nunc uero ipsa ratione, quam obseruauit poeta in utraque terminatione abhibenda, apparet non esse cogitandum de imitatione. namque casum rectum pluralem in 'es' terminantem fecit in substantiuis LXXXI, totidem accusandi casum habent in 'es' cadentem, cum quattuor haud plura nominatiuo id quod est is, at quarto casui idem suffixum substantiua XXXIV tribuant. contra adiectiuorum nominatiui XXXVII accusatiui X id quod est es assumserunt, alterum 'is' nominatiui quidem tres, accusatiui XLVI, inter quos 'tris' numerale. denique in participiis praesentis actiui idem fere modulus perspicitur, cum LXXIV 'es' admiserint in casu recto, IX in quarto casu, at 'is' in nominatiuis VI in accusatiuis XXXIV inuenitur. res cum ita se habeat, 'is' suffixum in quarto casu adiectiuorum et participiorum noster longe praetulit, adeo ut uix uerear dicere nominatiuos, qui sunt 'uisentis plorantis halantis animantis plangentis auentis', mutandos esse in 'uisentes plorantes halantes animantes plangentes auentes', neque aliter accusatiuos hos 'soluentes uariantes conuenientes nocentes merentes mulcentes miscentes potentes rubentes' isto accusatiui suffixo 'is' esse donandos, cum neque aurium neque sensus ullum fiat periculum locis illis omnibus. uerum adiectiuorum accusatiui non modo 'deteriores rapaces memores capripedes minores omnes dissimiles plures ueteres praecipites' cum extent, sed etiam 'suauis omnis mortalis' permulti alii eius generis, nec non et 'rapacis melioris feracis sequacis expertis teretis duplicis praecipitis maioris', participia denique omnia, dubitari poterit, utrum adiectiua participiaque omnia unam normam sequentia accusatiuum in 'is' terminent, an 'omnes dissimiles' in 'is' terminari, 'rapacis

melioris feracis' et quae sunt reliqua in 'es' potius cadere uoluerit Lucretius. scilicet metri differentia ea, quam promiscuo usu suffixorum sexti casus 'e' et 'i' spectauit, huc nihil pertinet. uerum qui extant nominatiui uitalis [II 955] omnis [VI 936] duplicis [IV 450], mutare in 'uitales omnes duplices' non dubito, hoc quidem eo minus, quo crebriores uersiculi homoeoteleuta in trithemimeri et penthemimeri admittentes Lucretio euenerunt ut I 97 103 111 130 191 194, siue eiusdem libri IV. males, u. IV 26 68 131 153 200 al. praeterea simile obseruari licet in substantiuis. ex quibus cum nominatiuum in 'is' desinentem exhibeant quattuor quae sunt montis [IV 395] partis [V 494] imbris [V 216] parentis [IV 1213], eorum in locum 'montes partes imbres parentes' succedant necessest. uerum accusatiui cum legantur 'amnis auris ciuis nauis naris uiris uis ignis imbris collis uermis orbis aedis unguis finis turris postis pellis fascis hostis conuallis nubis uestis auis' tum 'montis gentis partis fontis mentis urbis sortis potestatis stirpis religionis', cum altero suffixo 'amnes aures nares uires ignes imbres uermes orbes aedes fines postes fasces nubes uestes uites caedes uolpes secures clades sedes moles rupes ningues' tum aliae uoces tales, quarum genetiui singulares una syllaba crescant LVIII, statuendum: aut aequo inconstantiorem fuisse poetam in utroque suffixo adhibendo, aut in decem illis 'montis — religionis' nec minus in XXIII 'amnes — ningues' suffixa sunt immutanda. hoc si fiat simulque si concedatur, in ablatiuis illis, supra quae commemorauimus 'bili colli fini igni imbri labi nubi orbi pelli sordi', seruatam esse regulam, migratam, cum dicitur 'fine nube' cet., nec profecto minus si 'luci morti parti' similia, fiet ut Lucretii carmina sex declinandi rationes diuersas pro communi numero nobis praestent. et

merito. nam tertiae uoces quae dicuntur parisyllabae, a ceteris plerumque ita differunt, ut casum patricum pluralem in 'ium' terminantem faciant, neutra cum aliis non nullis sexti casus suffixum 'i' ceterum 'ia' adsumant, unde perspicitur i uocalem iis esse propriam. quam ob causam quae Buecheler l. l. p. 27 docet: Es ist eine irrige Vorstellung, wenn man von *is* als aeltester Bildung im Lat. wie πολῖς im Griech. oder von 'der spaeterhin allgemeinen Form auf *es*' redet, eine Vorstellung welche den vorhandenen Denkmaelern widerstreitet — quo adicienda, quae dixit ib. p. 15: Die Endung *es* ist nach den Inschriften, welche bei dem bestaendigen Schwanken der Hss. zwischen *e* und *i* allein einen sicheren Maassstab abgeben, bis auf die Kaiserzeit beinahe ausschliesslich in Gebrauch — ita haec interpretanda uidentur, ut utramque terminationem putemus esse antiquissimam, pertinere autem minime ad easdem uoces, et si inscriptionibus altera 'is' aliquanto rarius exhibetur quam 'es', id non modo casu aliquo sed etiam exiguo fere parisyllaborum numero pro imparisyllaborum multitudine factum esse possis arbitrari. cf. etiam quae de hac re O. Keller in Mus. Rhen. 1866 p. 241 sqq. disseruit.

Haec uero si respiciamus, nemo ut opinor erit qui contendat, his quoque rebus poetam id egisse, ut imitaretur lectoribusque carminis sui referret Enniani sermonis consuetudinem, nisi forte credit, aliud eum iudicasse de uetere sermone quam Quintilianum: 'esse paene ridiculum malle sermonem, quo locuti essent homines quam quo loquerentur'. etenim quas supra attulimus suffixa obsoleta, deinde uocabulorum quorundam uetustorum specimina, tum praepositionum inuersionem, antiquas denique significationes non nullas uocum et ipsarum satis ueterum, ea omnia ueniam

suam habere ostendimus aut e rationibus metricis aut ex imitatione artificiosa uatis et aetate et laude superioris. iis autem quae modo commemorauimus et flexuris et uocabulis constat certum quendam linguae colorem contineri, non tamen uetustum siue qui de industria a poeta adscitus sit, ut ait Munro 'for poetical ends', sed uerum atque ingenuum. itaque iam quaeritur, quae res praeterea inueniantur eius modi, unde singularis quaedam ac propria sermonis Lucretiani imago effici uideatur.

Quod ut exsequamur propositum, primum de rebus iis, quae singulis uerbis, deinde quae coniungendis uocabulis continentur, uerba faciemus. sed de nominibus supra iam attulimus, quae memoria digna uisa sunt, neque hic quidquam addendum erit, nisi forte de uocabulorum quae sunt 'finis funis sal' genere alieno obseruabimus. nam cum tertiae parisyllaba feminina esse soleant, paucis tantum in masculinorum numerum translatis, 'finis' [I 107 551 577 953 cet.] et 'funis' [II 1154] apud Lucretium retinent genus femininum. similiter 'sal' [IV 1154] suum genus scilicet neutrum seruauit, namque imparisyllaba ea, quae nominatiuo singulari s consonam non suffigunt, neutra esse debent. his nunc si adiungimus, id quod supra iam diximus, quartae datiuum singularem nunquam suffixo 'quod est 'ui', semper breuiore illo 'u' inueniri praeditum, peractum est de nominibus, restant uerba. igitur cum iam antiquitus suffixa, quae sunt 'runt ris' truncari coepta sint, Lucretius pro utroque breuius illud 're' magno in honore habuit. etenim inter uniuersa LI exempla perfectorum ut 'procubuere dissiluere' VIII quidem pertinent ad librum primum, at in eodem libro quattuor tantum inueniuntur in 'erunt' terminata uu. 177 467 900 1077, neglectis illis quae cum in 'erunt' cadant,

paenultimam corripuerunt — cuius quidem rei in isto libro exemplum unicum legitur u. 406. namque in iis omnibus id quod est 'erunt' iambum efficiens propterea admissum est, quod 'ere' longe iis erat ineptissimum, ut quae praeter duo illa 'dederunt' [IV 971 VI 4] 'fuerunt' [V 474 675 875] ante terminationem trochaeum reddant ut institerunt [I 406] prodiderunt [III 86] transtulerunt [III 134], exempla reliqua u. II 1061 III 1026 IV 37 400 972 V 193 415 VI 2 120 351 1173. at cum 'confluxerunt fulserunt recreaverunt' mediis uersibus sint inserta, 'fuerunt uenerunt' uersus concludant, hoc quidem posterius spondiazontem, uidentur illa metri quadam necessitate haec sonitus grauitate commendata fuisse. — neque longe aliter res se habet in formis ut 'confiteare uideare', nisi forte in his suffixo truncato paulo magis pepercisse poetam dicemus. nam quoniam in uersuum exitu utrumque 're' et 'ris' occurrit, difficilest dictu, utri magis fauerit Lucretius, cf. II 441 V 23 VI 653 atque III 1050 I 80 398 652. quamquam considerandum, an poeta, cum dicit urgeris [III 1049] uagaris [III 1050], lectores defendere uoluerit ab infinitiui 'urgere' uel imperatiui 'uagare' errore. plerumque enim in coniunctiuis praesentibus secundae tertiae quartae, deinde in futuris puta indignabere [III 1043] ferere [V 23] id quod est 're' pro pleniore 'ris' admittebat.— restat ut paucis formas quasdam uerborum contractione breuiatas absoluamus. de qua re id potissimum dicendum erit, Lucretium in perfectis in 'aui eui iui oui' desinentibus satis adamauisse syncopen uel, ut aliquanto accuratius praedicetur, uoluisse personas quae cadunt in 'auerunt euerunt ouerunt' tum in 'aueris oueris auerit euerit auerint euerint auerat euerat auerant euerant auisset euisset iuisset auissent iuissent ouissent', denique in 'auisse euisse

iuisse ouisse' infinitiuos desinentes, semper terminari in 'arunt erunt orunt' tum in 'aris oris arit erit arint erint arat erat arant erant asset esset isset assent issent ossent', denique in 'asse esse isse osse'. nempe uocabula huic normae repugnantia praeter 'compleuerit' [V 1160] 'recreauerunt' [VI 3] toto carmine non inueniuntur. sed cum integrae seruentur personae exeuntes in 'auit iuit' siue 'iit', ter admittitur pro illo 'at' longum I 70 V 396 VI 587, bis 'it' longum pro 'iit' IV 337 769 in uerbis quae sunt 'inritat superat disturbat init perit'. in quibus omnibus ne praesentia intelligerentur, correptam ultimam quae habent, poeta ita cauere studuit, ut uocabula insequentia faceret a uocali incipientia. quam ob rem 'reditque' [III 500] praesens esse existimo et 'obit' [III 1040] falsum esse. postremo ne hoc desideretur, in formis his 'consumpse' [I 233] 'abstraxe' [III 648] 'protraxe' [V 1157] 'confluxet' [I 987] 'si' syllabam auferri passus est Lucretius. ex his autem, quae adhuc de suffixis 'runt ris' truncatis, deinde de syllabis 'ue ui si' syncopatis disputauimus, iam licet conici, Lucretium in pronuntiandis uocabulis facilitatis et commoditatis imprimis rationem habuisse. nec huic quidem sententiae repugnat, quod idem talia exhibuit ut 'uidelicet' [I 210] 'scilicet' [II 469] dictum pro 'uidere scire licet', 'probeat probet' [I 977 III 862] pro integris 'prohibeat prohibet', 'flutat flutant' [III 189 IV 75] pro 'fluitat fluitant', tum quod contraxit 'puri' [IV 1019] ex eo quod est 'pueri', 'colescere coluerunt' [VI 1066 II 1061] ex 'coalescere coaluerunt', 'coperuisse coperiunt' [V 342 VI 491] ex 'cooperuisse cooperiunt', 'surpere' [II 314] ex 'subripere', 'desse derrare' [I 43 1103 711 III 859] ex 'deesse deerrare', 'dis' [II 1092 III 322 V 182 VI 69] ex 'diis', 'mi' denique ex 'mihi' saepius quamquam huius quidem prono-

minis forma longior non prorsus abest a carminibus. postremo indicetur 'exest' [III 991]. neque uero silentio premendum, quod ea quae sunt 'coluerunt coperuisse coperiunt surpere', ne distinctis uocalibus adhibeantur, metrum obstat. contra in iis quae sunt 'eodem eadem iidem eaedem cui huic deinde proinde quoad deorsum seorsus', cum metro permittatur disiunctio uocalium, attamen aut plerumque aut semper facta sit uocalium synizesis, hoc nescio an non ad artem pertinere putandum sit sed ad ipsam rationem, qua homines tunc utebantur in uocabulis his uel similibus pronuntiandis. nec dicere 'saecula uinculum uincula uermicula periculum miracula' metro Lucretius uetabatur, et profecto 'uincula' legitur III 83 'pericula' V 44 'miracula' IV 460 'uermiculorum' III 726, ceterum mos eius est paenultimae u uocalem interimere, quo simul quidem metri difficultati aliquotiens medicatus est [I 580 II 6 15 III 55 1074 IV 417 592 901 1194 V 345 369 873 1310 VI 603 1086]. aeque uero atque quattuor illa, quae supra indicauimus, ex metro ueniam habere possunt 'reposta disposta' similia, praesertim cum ea, quae aut propter ultimae quantitatem aut ex consonarum positione metro non fuerunt inepta, ut e. g. 'dispositis inpositum adpositus', integra seruata sint a Lucretio praeter illud 'compostum' [VI 1279], quod quidem ex coniectura restitutum est.

Ita sermonis Lucretiani proprietate in iis fere rebus, quae tendunt ad flectendorum uocabulorum rationes, breuiter quidem ut pro opusculi finibus perlustrata, iam accingimur ut indicemus, quam uiam in orationis partibus inter se coniungendis siue in syntaxi ille idem secutus sit. quod propositum ut recte perpetremus, ex ordine nobis dicendum erit de substantiuis siue de casibus, tum de uerbis siue de

temporibus modis nominibus denique quae dicuntur uerbalibus, tum de particulis maxime coniunctionibus ac praepositionibus. sed quoniam in hanc partem linguae poetae latini multa admiserunt ex Graecorum more loquendi desumta, hic inprimis uidendum, ut quae graecanicum redoleant sermonem, ut par est, innotescant.

I. Casus.

Sed primum quidem de casuum quae dicitur rectione non tam disseratur quam exempla ipsa proponantur, unde nostri ratio appareat. igitur adsciscunt

ablatiuum:

abundo II 1089 V 262 814
abutor II 656
affluo III 959 VI 1117
arceo I 183
cassus III 560 IV 126 366 V 717 755
careo I 343 573 964 II 4 652 990 III 356 IV 35 cet.
compleo II 324 358 IV 1010 V 594 1064 VI 600 645 1273
conscius III 1016
damno VI 1229
diffido V 1347
dignus III 13 323
effertus VI 258
egenus III 1009
egeo I 160 III 134 V 290
exhaurio VI 1138
expers II 1092 VI 1179
expleo III 1002 1005
fessus I 257 II 1038 III 458

fretus V 963 VI 1056
fruor II 18 647 III 200 557 IV 1097 VI 856
indignus VI 69
indigus V 223
inesse I 590 III 632 784 V 130 VI 984
imbuo II 502 734
ieiunus II 845
laboro II 970 III 176
migro III 755
misceo II 576 579 III 233
oppleo V 738 VI 748
opus est VI 1079
orbus II 838
participari III 686
perfunctus III 966
plenus VI 269 537 1183
potens VI 12
praeditus I 625 798 848 917 II 336 608 723 cet.
priuo I 381 1038 II 649 841 1091 III 407 cet.
repleo II 806 1107 IV 342 605 624 V 40 cet.
satio III 1002 IV 1094
soluo II 46
spolio IV 375 V 760
sterilis II 845
turgidus IV 1027
usus est I 184
utor I 870 III 560 V 1044 1142 VI 1134
uaco V 1347
uescor V 854

genetiuum:

alienus III 819 VI 69 1063

auidus IV 592
compleo V 1160
consimilis V 712 810
cupidus III 5 VI 1237
damno IV 1175
egens IV 500
egeo III 45
expers III 242 279 690 710 810 V 357 996
ignarus II 165
indigus II 650
memini IV 711
in mentem uenit V 1204
misereo III 879
misereor V 1021
opus est VI 365
orbus V 837
particeps III 462
plenus III 936 958 IV 1155 VI 130
potens III 1025
potior IV 764
satur III 958
scato V 40 VI 891
secretus II 843
similis V 827 VI 542 1122
socius III 61
timens VI 1237
usus est I 185
uiduatus V 837

datiuum:

adfinis III 731
aemulus I 296

aptus IV 667 675 1250 VI 773 961
dissimilis V 154
idoneus VI 318
socius I 24
suadeo V 1050

accusatiuum:

arguo VI 405
fruor IV 1070
perfunctus III 954
potior III 1036 IV 759
suadeo II 171

at 'sequor' [III 900] 'consequor' [III 927] non adsciuerunt datiuum, cum 'dictis leto' illud ablatiuus qui dicitur limitationis hoc causae esse debeat, et nimis subtiliter Munro, ut 'leto' datiuum esse probaret, 'consequitur' pro illo 'consequens est' dictum esse proposuit. haec nunc omnia quamuis leuiter perlustrata et inter se comparata docebunt, uerbis non nullis haud satis constare casus. ceterum cum Lucretius hic graecissandi potestate abundaret, tamen in perpaucis tantum modo uocabulis apertius id factum esse uidetur, nec profecto accusatiui qui dicitur graeci exempla habeo quae afferam nisi corda [I 13] mentes [I 261] artus [III 487] quod [IV 777] adaugmen [VI 614]. quibus nescio an 'motus sensiferos moueri' [III 568] addendum sit, legitur autem 'id moueri' IV 1266. sed alias quoque adiectiuorum quidem accusatiui pro adverbiis sunt, diuersa I 412 428 rectum II 217 226 obliqua II 247 mutua II 76 III 799 IV 299 944 V 1098 VI 1082 transuersum VI 420 acerba V 33 crebra II 359 plura V 91 VI 245 quietum V 1125 sublime VI 97 obuia VI 339. quam ob rem illud 'id' idem ualere conicio atque 'ita.' haec uero ipsa num ad graeci sermonis

similitudinem a poeta sint expressa, adhuc dubito. — iam ut transeamus ad illustrandam rationem, qua Lucretius utebatur in casibus qui dicuntur absolutis, primum accusatiuum ita non nunquam adhibuit, ut quo tendat motus significet u. I 116 326 409 555, qui uersus Munrone duce non auctore uidetur restituendus sic

conceptum summum aetatis peruadere adauctum,

habet enim ille 'ad auctum', deinde II 159 IV 566 1023 V 44 74 606 805 1381 VI 742. quibus locis plerumque uerba quaedam puta 'insinuare seu insinuari peruadere impendere inflare incidere accidere' cum accusatiuo sunt, uerum cauendum, ne obiectum illis tribuamus, cum etiam praestet accusatiuos ex praepositionibus quae sunt 'in ad per' facere pendentes. attamen 'unum locum' [II 159] 'terram' [V 805] 'ea loca' [VI 742] similiter ad particulam qualemcunque referri non possunt, deinde datiuum in uerbis illis uel similiter compositis noster adhibuit, praeter quam quod saepius praepositiones siue easdem siue alias quasdam adposuit ut e. g. insinuari nascentibus [I 113] sensibus [II 685] corporibus [III 692 727] uermibus [III 721] oculis [IV 329], insinuare in [III 669 IV 523 VI 234 802], insinuare per [VI 89 385 778 860]. — porro ubi res aliqua sita sit, sextus casus iterum atque iterum indicat, cum ipso uocabulo praepositio omissa excusetur — urbium nominibus neglectis — II 534 III 546 IV 378, ubi 'loco' legitur, 'parte' V 767 'terra marique' V 219, 'totus' additumst III 155 281 IV 1096 V 254 398 1164. ceterum inueniuntur Atthide [VI 1114] Acherunte [III 626 976 982] corpore [I 38 V 138 786 VI 660] fini [I 978] fine [IV 625] regione [II 260 293 534] regionibus [VI 762] montibus [II 331 VI 786 965] terris

[II 534] tenebris [II 745 798] lumine [II 799] sedibus [III 615] aequore [III 782 V 128] aëre [III 978] speculis [IV 96] uiis [IV 607] membris [V 786] fluctibus [V 1078] collibus [V 1371] campis [V 601 1371 VI 712] caelo [VI 376] litore [VI 471] nubibus [VI 185 198 498] tellure [VI 579] lauabris [VI 799] lignis [VI 989] casa [VI 1252] prima acie [II 448] prima fronte [IV 69 201]. huc quoque loci pertineant illi, quibus 'inesse' cum ablatiuo inueniri supra monuimus.— denique unde motus proficiscatur, idem casus sextus indicat I 162 724 III 132 329 755 1010 IV 1034 1035 V 69 401 672 809 849 904 907 1032 1074 VI 231 247 248 392 470 689 1139 1201.— sed comparatiuum sequitur ablatiuus pro particula quae est quam cum casu recto coniungenda his tantum modo locis IV 707 V 500 1133 VI 576, cum quarto casu V 728.— iam uero de datiuo id potissimum adnotandum uidetur, quod Lucretius haud ita raro hunc quidem casum in patrici locum substituere sibi indulsit, ut 'rebus' diceret pro illo 'rerum' [I 58 168 IV 158 V 181 618] 'cuique' pro 'cuiusque' [I 167], tum haec arboribus [I 253] saeclis regionibus [I 469] formis [II 373] motibus [III 257 V 509 530 VI 535] nobis [IV 362] omnibus [IV 562] amnibus [V 270 VI 636] ei [V 284 300 VI 729] montibus [V 492] uenientibus [V 1317] ollis [V 1388] umoribus [VI 475] gentibus [VI 643] amni [VI 727] morbis [VI 1088] Britannis [VI 1104] dicta esse uidentur pro illis 'arborum saeclorum regionum' et quae sunt reliqua. decet autem hoc loco praedicare, datiuum qui dicitur commodi aut incommodi nostro adeo placuisse, ut non solum passim in carminibus occurrat [cf. I 40 54 58 104 124 132 149 219 cet.], sed probabile etiam fiat, locis modo laudatis illum genetiuo esse praelatum. uerum cum passiuo non in-

uenitur nisi I 944. — sed de casibus satis dictum est, ueniamus ad uerba.

II. Tempora.

Hic de temporum quae dicitur consecutione pauca tantum attulisse satis sit. igitur Lucretius, ut summa est seueritate in coniunctiui temporibus ad uerbum regens adaptandis, ita et tempus perfectum et infinitiuum adeo in praeteriti loco habuit, ut utrumque — omitto enim locos, quibus tempus perfectum exhibetur cum sequenti coniunctiuo temporis praesentis uel perfecti aut imperfecti, cum ipsum pendeat ex tempore praesenti uel futuro aut ex imperfecto [I 222 III 31 616 715 IV 26] — prorsus sequantur coniunctiui siue imperfecti siue plusquamperfecti [I 1022 II 1108 . III 1033 IV 575 833 838 842 843 1243 1247 1266 V 168 173 182 189 421 443 453 474 835 901 922 1013 1019 1046 1118 1142 1303 1308 1339 1345 1378 VI 9 17 26 27 487 1211 inff. II 634 III 590 IV 822 827 V 15 910 1417 VI 412], neque aliter si ipsum perfectum pendeat ex praesente uel futuro [II 942 si cum Lachmanno facias, tum eiusdem libri u. 1061 III 834 IV 26 831 V 424]. quam ob rem ne mirum quidem, quod II 1171 'tolerarit' V 1341 'quierint' admittunt coniunctiuos qui sunt 'esset fieret', cum idem fere ualeant ac si dicatur 'crepat tolerasse', 'uix adducor ut credam quisse', tum quod 'consuerunt' [V 189] 'potuit' [V 901] simul coniunctiuos temporis praeteriti ac praesentis 'possent flaret sit soleat' secum habent. restant perfecta I 308 321 III 957 IV 521 V 64 189 336 901 1430 VI 783, infinitiui I 382 II 459, in quibus quiuis facile intelliget, quomodo factum sit, ut praesentia coniunctiui ad-

hibeantur. — sed aliquanto inconcinnius, ne dicam licentius fecisse Lucretius poterit uideri, cum I 478 III 1051 'possis fiat constet' et V 315 345 1054 'pertolerassent temptarentur uigeret' inter se conferas, tum quod III 680 'uideatur' V 1054 'notaret' dixit. quamquam quae his postremis duobus locis praecedunt 'conueniebat', 'quid mirabile est', idem fere ualent ac si dicas 'conuenit' 'quid mirabile esset'. denique ne id forte requiras, simili inconstantia V 1041 factast in quaestione dubitatiua temporum uariatio 'posset putentur'.

III. Modi.

Iam primum de coniunctiuo acturi eo, qui fit in propositione principali, Lucretium dicemus praesentis coniunctiuo usum esse sensu potentiali [I 327 1072 II 178 384 763 768 III 213 370 961 1022 IV 570 747 808 V 122 123 196 VI 113 708, at V 609 VI 346 736 non interest utrum 'possideat trahat crescat' potentiales esse dicas an dependere ex eo quod est 'forsitan' et distinguas 'fors sit an', cf. 'qua forte' I 267], imperatiuo [I 830 954 956 II 187 410 414 418 658 III 135 423 V 509 VI 693] optatiuo [V 107 108], denique in quaestione dubitatiua [I 701 799 II 952 961 989 III 6 8 443 IV 25 V 4 166 646 751 754 757 760 763 767 1041 VI 411 412 857], imperfectum eundem non admisisse nisi tota sententia in conditionem uero repugnantem posset conuerti ut I 168 396 645 IV 925 V 25 27 31 34 1043 VI 1161 1168 1255 1266, quo adiciantur coniunctiui I 560 II 350 503 701 IV 920 V 315 378 1024 sq. 1051 sq. VI 105. concessiue autem non inuenias coniunctiuos in principali propositione, qui plerumque exceptis uu. II 774 III 985 extant cum particula quae est quamuis [I 346 376 388 398 620

II 177 644 III 307 872 IV 153 VI 601 620], praecedit 'si iam' I 396 1071 III 538 V 195, quocum conferre licet u. II 177, 'si' solum III 946 sq. VI 1074 sq.— nec uero minus coniunctiuus per se stat in conditionis integrae colo utroque, quod maxime perspicias in lingua graeca. Lucretii nunc norma in huiusce generis propositionibus haud ita multum a Graecis distat. etenim non modo indicatiuum prodosi tribuit eodem fere sensu, quo Graeci adhibent praesentis perfecti futuri indicatiuos, sed etiam coniunctiuo utitur praesentis uel perfecti aeque atque illi optatiuo uel ἐάν particula praemissa coniunctiuo, deinde coniunctiuo praeteriti tum cum illi faciunt indicatiuum imperfecti plusquamperfecti aoristi. sed unde multo magis similitudo uel paritas perspiciatur, Lucretius quamquam eodem et statu et tempore in utroque colo uti solet, tamen interdum fit ut cognoscere possis, eum non tam regulae cuiusdam seueritatem quam sententiae rationes uariantes esse secutum. itaque coniunctiuo praesentis prodoseos respondet indicatiuus praesentis aut futuri in apodosi I 385 515 570 655 961 II 481 1090 III 655 929 IV 555 1062 1162 V 1115 VI 167 705, cum II 35 in ipsa prodosi status immutetur, atque imperfecta sint II 1033. sed futurum exactum esse potest 'praeciderit' III 634, quae quidem opinio infringi posse uidetur, si conferas III 655. exemplum unicum rei inuersae extat V 210. at maxime ab usu linguae latinae abhorrere uidebitur temporum inconstantia, quae occurrit I 356 592 V 276, cum loco primo et nouissimo prodosis exhibeat coniunctiuum praesentis apodosis imperfecti aut plusquamperfecti, medius locus rem prorsus inuertat, immo exaggeret inconcinnitatem, ita ut u. 597 oratio redeat ad imperfectum. uerum enim uero eadem fere ratione Graecis hominibus licet optatiuum aut

ἐάν particula praecedente coniunctiuum adhibere in altero colo, cum in altero fiat indicatiuus imperfecti plusquamperfecti aoristi addita ἄν particula, nec non cum praecesserit εἰ cum indicatiuo eorundem temporum, ita concludere sententiam, ut optatiuus fiat cum particula quae est ἄν. quae cum ita sint, quis est quin concedat, statum tempusque apodoseos apud Lucretium sua ac propria uti significatione neque temere ad alterius coli praecedentis aut modum aut tempus adaptari? quam ob rem Munro cum dicit in u. I 1013 [editionis suae p. 78] Lachmannum, quia hiatum constituat post u. 1012, minus loqui emendate ac latine ob temporum uariationem, locorum nouissime laudatorum rationem ut opinor non habuit. sed liceat quaeso accuratius in ea, quae Munro de hoc loco profert, inquiramus. hic cum uu. 998—1001 post u. 983 collocat, uu. 1002—1007 arte cum u. 997 coniungit, ita ut incisio fiat post u. 1007, iudicauit poetam primum [u. 958—983. 998—1001] de omni infinito, tum [u. 984-997. 1002—1007] de inani, denique de materia infinita [u. 1008—1051] egisse. attamen dubito primum, uu. 998—1001 qui sunt de terminatione mutua corporis ac loci, num possint discerpi a u. 1008 sqq., tum etiam si id concedatur, num usque a u. 984 de inani solo quaestio sit, cum intelligi non possit, quo modo materiam infinitam capiat locus finitus, praeterea cum [u. 1006] iis quae sunt 'patet ingens copia rebus', non tam inane quam corpus significari uideatur. deinde dicere hoc — ut uult Munro, cum inter 'reddat' et 'aut etiam' commate, post 'inmoderatum' puncti signo interpungit—: naturam mutua corporis et loci terminatione prohibere, quominus omne sit finitum, eadem re efficere, ut aut corpus aut inane solum sit infinitum, consentaneum non erit. nimirum et terminans et terminatum utrum-

que aeque infinitum esse debebit, ut mutua fiat terminatio. postremo licet hoc aliter possit fieri, tamen id quod pateat inmoderatum, nihil erit nisi inane propter eandem rem, quam supra diximus, scilicet quod corpus longius patere quam inane uetatur u. I 421. unde sequitur ut possit continuare orationem nec Munro nec quisquam

> sed spatium supra docui sine fine patere.
> si finita igitur summa esset materiai cet.

sed iam satis facile lacunam post u. 1012 statutam explebimus. nam uersuum 998 1001 1002—1007 ordine mutato ut facit Munro, disseremus hoc modo: natura .... ut sic alternis infinita omnia reddat. aut etiam, alterutrum [nom., i.e. aut corpus aut inane] nisi terminet alterum [acc.] eorum, inane infinitum erit aut corpus. uerum quo modo possit inane finitum in se cohibere materiam infinitam? contra si corpus terminetur, cum inane simplice [abl.] natura [i. e. sine corpore] pateat tamen inmoderatum cet. siue carmina males, uide an haec placeant

> aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum,
> fine carere potest spatium aut uis materiai.
> haec nunc quin queat esse in inani finibu' certis
> incluso, si infinita est, ratio uetat ac mens.
> uerum corpora si statuas finita, cum inane
> simplice natura cet.

immo ipsa lacuna, si cui illud minus probetur, supersedere possis, cum legas

> aut etiam, alterutrum [scil. corpus] nisi terminet, alterum [scil. inane] eorum
> simplice natura pateat tamen inmoderatum cet.

tunc enim interpretabimur u. 1012 sq: quod contra si inane non terminetur corpore sed solum ac purum extendatur in infinitum. — sed ut transeamus ad coniunctiuum qui fit

extra propositiones principales, primum statuendum uidetur, Lucretium ut ita dicam per attractionem siue ex coniunctiuo aut infinitiuo uicino coniunctiuos in propositione dependente admisisse aliquot, cf. coniunctiuos relatiuo praecedente qui extant I 386 480 482 502 559 683 955 II 18 315 526 764 794 813 962 1046 III 723 780 1052 IV 67 298 491 499 629 778 828 V 160 479 621 755 841 900 1030 VI 28 30 343 429 460, particulis praemissis 'prius quam' I 53 417 II 833 III 589 IV 296 V 391 'ante quam' V 1340 VI 169 'post quam' VI 165 'simul ac' VI 757 821 'donec' IV 994 'quia' I 392 II 694 724 'quoniam' I 339 345 IV 1150 'quod' I 1056 1091 II 735 IV 1175 V 1178 VI 31. ceterum particulae quae sunt 'quamuis', locis supra indicatis, 'quin' [I 588 916 1080 1108 II 53 202 236 373 1026 1079 III 26 253 328 580 601 1077 IV 125 531 917 VI 321 693 1012] 'quo minus' [I 781 978 II 785 787 III 1087] 'ut ne' saepissime, 'dum modo' 'dum' [I 435 II 659 III 410 IV 629 V 1427] 'nedum' [I 653], denique comparatiuae 'ut' [IV 894 VI 1229] siue 'ut si' [II 440 IV 294 296 991 V 881 Lachm. VI 152] 'ut qui' [IV 1014] 'ceu si' [VI 161] 'quasi' [II 152 III 1057 IV 374 993 VI 434 515 971 1025] 'quasi ut' [VI 1085] 'proinde ac' [III 1033] 'proinde quasi' [IV 809 997 V 727] 'quam si' [III 110] 'tam quam' [III 914 IV 261 VI 866] 'non quo' [II 336 692 723 VI 71] 'pro quam' [VI 11] 'potius quam' [VI 1284] semper coniunctiuum secum habent. quae supersunt 'cum ubi dum quoniam quando quod quamquam prius quam ante quam' denique relatiua, nisi aut finaliter aut aduersatiue aut consecutiue adhibentur, coniunctiuum respuunt [I 246 499 1045 III 393 823 958 IV 842 V 110 698 1378 VI 463 917 rell. I 145 206 383 403 546 829 994 II 443 545 623 863 III 617 726 785 793 861 IV 479 1090

1111 V 233 453 765 849 1238 1310 VI 704 — I 467 II 204 277 III 915 IV 1180 V 1032 1330 VI 904 rel. VI 609 sq. — rell. I 105 119 200 222 424 430 432 437 447 448 500 517 527 564 580 608 652 662 688 700 796 930 931 977 1001 1003 1077 1085 II 9 21 91 220 228 242 250 254 280 304 478 522 543 579 584 590 591 595 597 614 615 617 675 794 851 970 1029 1036 1070 1072 1078 1109 1138 III 234 321 734 864 940 942 943 983 986 IV 66 92 94 114 144 173 193 215 489 507 508 551 947 974 1126 1135 1164 1199 1244 1246 V 49 119 151 227 312 Lachm. 316 337 367 371 514 532 593 610 637 639 870 923 926 1203 1304 1346 1427 VI 166 227 453 664 667 757 772 780 821 923 ~~979~~ 1050 1065 1073 1092 1094 1248]. rationem prope causalem relatiūum indicat II 87 III 1060 V 1055, cum conditionalem exprimere uideatur II 300 IV 318 954. itaque apparet sensum et temporalem et causalem cum hoc quidem statu minime esse coniunctum. at de 'cum' particula non nulla necessest seorsum disserantur. quae cum sexenties occurrat et causaliter et temporaliter adhibita cum indicatiuo praeter I 62, nam coniunctiui II 635 1172 aut ex infinitiuo aut oratione obliqua satis ueniae habent, tamen sensu priore praedita semper admittit coniunctiuum, non modo si affert rem iis quae dicta sunt repugnantem [II 309 469 696 IV 104 459 V 16 394 1086 VI 678 856 1213], sed etiam si res indicetur antea demonstrata uel omnino peruolgata, qua uetamur aliter sentire ac dicit poeta, nec raro tum quidem additumst 'praesertim' [I 319 II 54 315 338 525 725 741 918 1044 1053 1058 III 361 578 693 736 Lachm. 849 IV 65 472 647 V 174 244 345 380 748 901 VI 130 567 859 981 1178], denique in re aliqua contraria [I 519 749 II 71 190 III 101 IV 40 257 716 912 V 479

518 679 1057 VI 976 1071]. praeterea eadem I 892 1065 IV 576 V 1020 VI 1044 tum I 914 II 41 43 849 III 852 IV 570 936 sq. V 63 eodem modo adhibita potest uideri, quo Graeci dicunt ὅτε cum optatiuo ὅταν cum coniunctiuo. nec longe aliter res se habet in particula quae est 'ubi' III 868 IV 596 Lachm. 922 V 100 VI 901. aduersatiue legitur 'ubi' II 313 III 504 IV 203 VI 854, idem fere ualet ac 'si' 167 182 242 IV 922.

Hic nunc locus est, ut pauca de infinitiuo adiciantur, quae memoratu digna uisa sunt. inprimis autem dicendum, hunc quidem modum Lucretio fuisse magno in honore, ita ut non modo in uerbis quae sunt 'uolo nolo studeo quaero aueo peto postulo patior perpetior fero sino licet', perpaucis exceptis I 870 III 46 IV 304 V 285 907 1127 VI 406 601 620, infinitiuum cum accusatiuo semper admitteret, sed ne in his quidem curo [IV 243 in subiectis quidem diuersis uerbi ipsius et infinitiui] subigo [III 1075 V 1026] impero [V 670] uoco [V 942] moneo [V 1398] coacto [VI 1120 1159] prohibeo [IV 1261] impedio [III 322 IV 918] induco [I 143] deduco [II 171] suadeo [I 143 II 171] facio [III 101 301 V 660 701 759 VI 267 455 512, ut omittam infinitiuos I 485 747 783 V 1185, ubi 'facio' idem ualet ac 'puto'] eadem constructione abstineret, cum 'ut ne quo minus quin' in iisdem non inuenias praeter haec curo III 127 IV 810 VI 231, duco II 788, adduco V 1339, facio IV 928 V 1030 VI 407 536, suadeo IV 1149, inlicio II 788, uito IV 1138, absterreo IV 1226, impediunt prohibentque II 787, probeat efficiatque I 978, officiunt obstantque II 785, contra pugnet et obstet I 781, subsisto I 1080 II 236, teneo I 1009, obsto III 26. 'cogo' plerumque h. e. XLII locis, ut omittam ubi passiuum 'cogor' exhibetur, infinitiuum adsciuit, 'ut' particulam III 197

V 1049 VI 127.— 'blandior' II 173 'facio' III 421 'necessest' quadragies cum coniunctiuo solo extant, hoc postremum siue 'necessumst' cum infinitiuo LV locis legitur. praeterea cum subiecti loco infinitiuus in uerbis permultis occurrat quae dicuntur impersonalibus, ut 'discrepat conuenit decet iuuat palamst par est' sexenta alia eius modi, monendum, semel extare 'ut' cum coniunctiuo in illo conuenit [III 680], at semper 'ut' secum habent 'accedit sequitur' [III 663 idem ac dicendem erit] linquitur est [esto III 733 idem ac concedo] in eo est', nusquam infinitiuum. nec praeterea infinitiuus pro substantiui nominatiuo siue subiecti loco raro legitur [I 337 362 II 122 III 663 733 IV 763 833 834 840 841 845 847 V 176 1116 1196 1198 1200 1201 1248 1249 1295 1296 1297 1299], quin etiam in praedicato 'fio' V 977 VI 414, semel pro accusatiuo V 1185. at ex uerbis dependentem, ne plura afferam, his fugito [I 658 VI 1236] deficio [I 1040] calleo [II 978] manus do [II 1129] recipio [III 239] adorior [III 513] confugio [III 784] metuo [VI 565] relinquo [I 515 703 III 40 VI 654] experior [V 1307] habeo [VI 711], iterum atque iterum habes infinitiuum apud Lucretium. quin etiam pro casu obliquo uidebitur esse adhibitus in uerbis parco [II 660] dignor [II 1039 V 51] desisto [IV 972 VI 556] indignor [III 882 1043] remordeo [IV 1127], in adiectiuis paratus [VI 564] defessus [V 1143] indignus [V 123]. — postremo, ut commemorem tantum infinitiuum unicum in carminibus II 16 'uidere', proprie hoc statu uerborum quidem intransitiuorum poeta usus est in uerbis quae sunt 'resto sum clueo' I 1005 IV 46 V 227 VI 756, cum 'do' III 1028 adsciscat infinitiuum 'ire', IV 1087 participium transitiuum 'fruendum'. nec omnino praeterea participium illud similiter occurrit apud nostrum in uerbis quae sunt 'do trado loco'

cet., ut significetur, quem ad finem detur tradatur locetur cet., excepto unicò illo 'curo' V 1161. hic igitur nisi forte credes, Graecanicum sermonem Lucretium esse imitatum, fac ei per communem popularium consuetudinem licuisse ita adhibere infinitiuum pro accuratiore participio. itaque ne id quidem praetermittatur, quod apud eundem saepius inueniuntur infinitiui omisso subiecti accusatiuo ut III 1043, quocum conferas III 882, tum IV 854 1131 1166 1175 V 156 'uoluisse' VI 22 412 542 699 sq.

IV. Nomina uerbalia.

Quae cum ita sint, nil obstat, quominus transeamus ad nomina, quae a uerbis deriuata uerbi uim retinent. et primum quidem de gerundio participioque futuri passiui, quo conexu inter se utantur apud nostrum, uerba faciamus. igitur quoniam uerba quae dicuntur transitiua gerundio praeferunt gerundiuum, ex comparatione locorum I 585 1026 III 1085 IV 616 637 1094 V 42 428 720 1367 cum illis I 184 203 547 552 577 707 746 844 II 855 V 181 1161, tum I 59 III 238 V 80 1333 VI 473, denique IV 1201, scilicet si restituas 'in' praepositionem post id quod est 'quom' omissam, sequetur ut Lucretius gerundiuum adhiberi noluerit tum cum aut ablatiuus aut genetiuus fieri debebat, cum aut datiuus aut accusatiuus aut in praepositione qualicunque, noluerit gerundium. omnis autem normae expers inuenies illud V 1222 'soluendi poenarum', dicendum erat 'poenas soluendi'.— haec ut minus sunt miranda, ita aliquanto magis haesitabimus in necessitatis temporibus quae dicuntur. etenim Lucretius non participium futuri passiui sed gerundii nominatiuum deciens cum obiecti casu admisit in uerbis quae

sunt 'timeo ago priuo addo do cieo facio claro insinuo firmo' [I 111 138 381 II 492 1129 III 391 624 IV 776 V 44 VI 917]. qua in re id potissimum notandum est, quod in uerbo substantiuo infinitiuos legi supra dictum est. at quoniam intransitiuorum et transitiuorum modo infinitiui modo gerundia adhibita sunt [cf. etiam II 36 cubandumst, III 834 cadendumst, VI 919 adeundumst] sine ulla omnino sensus diuersitate, solum relinquitur, ut utrumque dicere Lucretio licuisse statuamus, gerundia autem magis ei placuisse quam infinitiuos, locorum utriusque generis numeris inter se collatis suadetur. at legitur futuri passiui participium uiciens bis [I 127 726 II 57 616 974 1037 III 35 41 89 231 530 817 IV 44 508 V 66 229 VI 37 82 84 374 779 828, ut omittam, quibus locis 'utrumque illud quod nil' subiecta facta sunt] in uerbis his 'habeo miror uiso metuo tribuo claro nominito puto timeo fugio reddo adhibeo orno cano uito uomo. hic si quis dixerit, quod hi loci posteriores nominis participiique singularem exhibent, exceptis paucis [II 57 616 III 41 89 IV 508 VI 37 82 84 374 779], priores praeter unum [III 624] obiecti pluralem secum habent, poetam in his quidem id spectasse, ne constructione solita oratio fieret uersui difficilior, quoniam 'timendae sunt' 'agenda sunt' 'addendae sunt' similia non aeque facile atque 'timendumst agendumst addendumst' et quae sunt alia carminibus inseruntur, haud scio an prope absit a uero. — de supino memoria dignum uidetur hoc asserere, nulla eius uestigia deprendi apud Lucretium. namque quod Lachmanno placebat 'ortu' [II 387 VI 909], cum codices utroque loco exhibeant 'ortus', uidere non possum, qua de causa illinc participium hinc substantiuum reici uelimus. tum 'abortu' si legitur IV 1235, considerandum an melius fiat 'ab ortu' scil. 'reuocatum', prae-

sertim cum ibidem quaestio non sit de abortu, deinde quia hoc 'abortu cedere' quid sit haud facile intelligatur. restat 'factu' IV 886, quocum si conferas supra quae diximus 'tactu usu uisu adactu aspectu sensu motu' [II 408 III 969 IV 707 V 101 VI 778 779 780 782 1148], et ipsa plerumque ex adiectiuis 'malus asper acer infestus grauis' dependentia, quaeque substantiuorum datiuos esse si nulla alia re tamen uersu II 408

omnia postremo bona sensibus et mala tactu

probatur, concedas quaeso 'factu' quoque esse casum tertium substantiui quod est 'factus', certe non esse cogitandum de supino siue substantiuo casibus defectiuo.

V. Coniunctiones.

Rite hucusque peractis iis rebus, quae ad uerba pertinent tempus iam est inire particularum rationem, primum quidem coniunctiuarum. igitur poematis materia cum in argumentatione plerumque uersetur, causalium coniunctionum multitudinem ac uarietatem nullis ferme aliis superari consentaneumst. ex quibus maxime Lucretio placuit adhibere 'quoniam', nec multo minus 'quod quia', quibus longe cedunt 'quando quando quidem quatenus'. quam uero particulam posteriori tempori in argumentatione plurimum placuisse uidemus 'cum' uel 'quom', temporaliter iterum atque iterum apud nostrum occurrit, praeterea non nisi aduersatiue locis supra laudatis. accedunt ceterae temporales 'quando', quater quod legitur, tum 'ut postquam simul' ternis locis extant, paullo pluribus 'simul ac uel atque ante quam prius quam', tum 'donec' siue 'donique dum ubi' aliquanto crebriores. iam uero res aduersatiua praeter quam 'cum' con-

iunctione his potissimum indicari solet 'quamquam etsi ubi', at concessiue adhibentur 'quamuis', bis 'licet quamuis' totiensque 'quam libet', porro 'si iam' [I 396 968 1071 II 973 III 538 764 V 195], quinquiens 'si' [III 840 946 947 VI 1074 1075], semel 'ubi iam' [II 313]. — deinde in ratione consecutiua et finali 'ut' siue 'uti ut non ne quo quin' [I 588 1108 II 373 1026 1079 III 253 328 1077 VI 321 1012] inueniuntur, quorum illud primo loco commemoratum in comparationibus saepius uersatur, plerumque aliis quibusdam particulis adiectis puta 'ut cum ut si ut ac sic ut proinde ut uel uti.' huc adde reliqua satis multa ac uaria 'quam si quasi quasi ut ceu si proinde ac proinde quasi tam quam non quo'. restant singula 'dum modo' siue 'dum dum modo ne nedum quo minus', denique condicionis particulae 'si nisi' uel 'si non', quorum illud XVI hoc XX locis exhibetur, tribus cum extet 'si minus' [II 458 III 170 925], nec pluribus 'ni' [I 379 628 V 293]. sed ne illud quidem 'sin' poetae ualde placuisse uidetur, raro quod inueniatur [I 437 770 II 776 III 715]. at iterum atque iterum incurrimus in ea quae sunt 'quod si quod nisi quod si non'. in illius uero locum quod est 'si' interdum cessit 'ubi' [I 167 182 242 III 868 IV 551 620 922 V 140 431 520 552 791 854 901], bis 'ut' [II 920 973] cum concessionis uel refutationis indicio.

VI. Praepositiones.

Sed de iis quae supersunt particulis maxime nos aduertent praepositiones. qua in re quod obseruauimus, his fere uerbis continetur: poetam inconstantiorem se praestitisse praepositionibus modo adhibitis modo omissis, immo ne usus quidem rationem constare particulis istis, ut quae aduerbiorum loco saepissime adhibitae sint, quin etiam 'intus'

[VI 278 798] 'foras' [III 495 V 903 VI 681 990 1152] 'seorsum' [III 562] cum casu sexto adhibita sunt. maioris autem momenti est, quod omnino Lucretius praepositione usus est tum cum ea carere poterat, contra ubi admittere debebat, particulae pepercit. et quoniam posterioris rei exempla supra iam indicauimus, restat ut illud priore loco praedicatum illustremus, quantum quidem facit ad rem perspiciendam. igitur 'in' praepositio ut saepissime omittitur in loci finitione, ita ad tempus finiendum adhibetur in ipso 'temporis' uocabulo I 26 98 337 351 1037 III 24 114 551 861 IV 153 497 773 791 792 795 1068 V 106 174 670 875 1079 VI 375 813, cum tamen plus quinquagiens 'tempore' solum dicatur. huc accedunt alia 'in tenebris in puncto temporis in luce in partibus anni in tempore puncto' [III 88 IV 162 192 229 230 233 345 346 V 147 674 VI 230 873], quibus cum conferas aetate [II 298] aestate [IV 56 V 800 VI 715 840] puncto diei [IV 199 212] partibus anni [V 699] autumno [VI 357] frigore [VI 360] calore [VI 360] nocte [VI 625] luce diurna [VI 848] lumine [VI 1195] lampade [VI 1196] solibus [VI 1217]. ceterum 'in' praeter spem extitit in uerbis quae sunt 'locus' II 1099 IV 796 V 1162, 'regio' IV 700 784 V 534, tum in adiectiuo 'totus' III 797 IV 884 VI 629, tum IV 95 'in prima fronte', IV 69 'prima fronte' legitur. proprie eadem particula adhibetur II 533 III 645 769 V 1162 VI 393, ubi adiectiua 'fecundus consors conscius' uerba 'deditus florere' inueniuntur. — iam ea quae sunt 'a ab' ita persaepe in carminibus admittuntur, ut fons quidam ac causa siue principium actionis indicetur, quo fit ut in ablatiuorum qui dicuntur causae instrumenti rei denique efficientis locum uideantur cessisse, quamquam alias in re simillima solus casus sextus extat. exempla sunt ab sen-

sibus [I 693] alimur ab rebus [I 813] uexantur ab ictu [II 99 V 358] tenetur corpore ab omni [III 323 565] mouetur a tenui causa [III 429] flectitur a medicina [III 520] ab ictu e[illegible]ngitur [III 811] creari oriri fieri ab sensibus ab asperitate ei[illegible] [V 476 481 482 519 540] pulsari ab ibus [IV 931] restingui ab eodem corpore [IV 1079] uinci ab aeuo [V 306] ab igni [V 602] pressae ab bruto pondere [VI 105] ab aestu [VI 875] iungi plumbo ab albo [VI 1077] intercludi ab dulcedine [VI 1264]. singulariter dictum uidetur VI 968 'ab igni', quod ut intelligi possit, orationem conficias oportebit addito ei quod est 'ferrum' participio aliquo uelut 'mollitum'. sed nunc dubium esse potest, num casum patricum nostro libitum fuerit hac eadem praepositione exprimere. de quibus locis agendumst hi sunt I 719 935 II 51 132 III 642 V 300. etenim 'uirus ab undis' quid aliud esse conicias, nisi uirus siue liquorem undarum? deinde 'nullius rationis esse' cum bene perspicias quid sibi uelit, nonne de eadem re cogitabis, cum dicitur 'ab nulla ratione'? uel 'fulgorem ab auro' cum audis, num omnino dicere poteris quid sit, nisi auri fulgorem? tum uersus si fingitur talis

scilicet hic a principiis est omnibus error,

ut praedicetur aliquid eius modi 'principia omnia errant', idem ualere necessest 'a principiis' et 'principiorum'. sed locus paenultimus quod exhibet 'ab artubus', hoc non solum cum 'id' coniungi sed etiam ad 'abscisum' referri licet. restat 'ab omnibus ignibus' in obscuriore uerborum constructione. uerum id quod est 'ei' aliter recte uix interpreteris, quam si sentias id dictum esse, ut Lucretiana utar licentia, pro illo 'a luce', nimirum 'lux celat celeri flammae origine omnes ignes exiisse' siue 'exitium ignium omnium'. uerum etiam si concedatur proprius ille particulae usus apud Lu-

cretium, iam quaeremus, unde sumtus esse uideatur, ex uetustate an ex uulgari usu loquendi an ex ipsius poetae pectore, si libet, ut uersum conficiat, siue aliud quid males eum spectasse. nempe propria particulae ui ac ratione minime talia effingere uetabatur, praeter quam quod uätibus interdum, ut suis rebus consulant, licet linguae leges migrare.— praeterea quae commemorentur dumtaxat dignae sunt praepositiones 'cum ad per'. ex quibus quae primum locum tenet, interdum cum uerbo substantiuo extat, cum idem fere ualeat atque ablatiuus qui dicitur qualitatis [I 347 755 IV 1118 V 352 364 VI 5]. uerum alteram II 135 IV 1054 pro datiuo esse apparet, ceterum relationem quandam exprimit similiter ac graeca κατά πρός [III 144 214 397 IV 359 V 569 VI 316 613 679]. nouissima denique I 634 II 258 898 V 72 haud ita longe distat ab illius 'a' siue 'ab' significatione de qua supra exposuimus.

His nunc absoluimus enumerationem brevem rerum earum, quae si inter se conferantur, apparebit, quid fere sentiendum sit de poetae sermone. prius autem indicauimus ea quae et metri et imitationis gratia adscita a communi aetatis eius consuetudine loquendi abhorruisse putamus quibusque falsa antiquioris quam VII. saeculi sermonis species effici uidetur. attamen dubito, num ipse poeta populares tali modo fallere uoluerit, immo licet uoluerit, num illi hac in re falli omnino potuerint. uerum enim uero Lucretius ea omnia, quae ex praeteriti dudum temporis usu dicendi desumsit, nunquam profecto desumsisset, nisi confisus esset fore ut lectoribus ea probarentur, dum intelligerent, quibus de causis aut quem ad finem essent arcessita. aliter, ut opinor, uerendum ei erat, ut risum tenerent iterum atque iterum incidentes in illa 'ai ier' et quae sunt alia eius modi. hinc quoque factum esse arbitramur,

Tullius in epistola illa ad Quintum scripta [II. 9.] mul-
quidem artem nec uero studium quoddam maiorum more
ıendi in Lucretio dependeret, cum diceret ex Munronis
iectura [l. l. p. 329]: Lucretii poemata, ut scribis, ita
;, multis luminibus ingenii, multae tamen artis esse quum
ıneris, uirum te putabo, si Salustii Empedoclea legeris,
inem non putabo. sed de uetustate hactenus. iam quae
ersunt res supra perlustratae, quam breussime ostende-
, quam sententiam nobis commendent. igitur si respicias
quae diximus de uocabulorum antiquissimorum usu cre-
re, de sexta declinatione, nec non de quartae casu tertio
ulari deque supino, denique de coniunctiui particula-
que non nullarum usu et significatione, fieri non pote-
quin ingenua quaedam ac casta, ut ait Lachmannus,
ıae conditio agnoscatur. nimirum his rebus omnibus de-
stratur artissimus superioris temporis conexus et quasi
inua linguae auctio quaeque nulla hominis arte sit in-
ıta uel interrupta. porro eadem illa sinceritas sermonis,
is solet esse, quoad homines solam orationis utilitatem
pexerunt, siue dum artem dicendi negligere uolunt, quam-
ɔene eam habeant perspectam, probatur non modo con-
uerborum suffixis quibusdam et truncatis, sed etiam
um inconstantia et inter se et cum praepositionibus alter-
ium, tum infinitiui gerundiique usu promiscuo, nec minus
unctiui illa quam diximus attractione, infinitiuis iis
fiunt in uerbis, perfecti usu constanti quasi praeteriti,
omnia faciunt ad facilitatem quandam et pronun-
li et uerba faciendi, partim uariatione et copia partim
tantia et aequilitate. quae cum ita sint, non du-
ɔimus contendere: Lucretii carminibus uerum atque

ingenuum linguae latinae statum, qualis fuit VII. a. u. saeculo, posse cognosci. quod eo minus est negligendum, quod eodem fere tempore haec ipsa lingua ad artificii rationes maxime congruas circumscribi coeptast, ita ut possis perspicere, quae a mirabilissimi operis auctore ei sint additae quaeque ablatae uires uirtutesque.

Sed illud iam linquitur, quoniam interdum alterius linguae similitudines apparuerunt, ut breuiter patefiat, quod spatium graecae linguae Lucretius permiserit. nempe ut ornaret orationem, peregrinis illum uti noluisse, ex iis quae supra diximus conici quidem postest, uerum necessest, aliunde idem possit demonstrari. igitur ne hoc contendam, artis esse summe excultae uel quae se ipsa superet, externae linguae leges syntacticas uernacule referre, poeta noster tum cum facile poterat graecissari, scilicet in nominum verborumque rectione, parcissimum sese praebuit, deinde ne philosophiae quidem terminos graece adhibere nimis adamauit, id quod haud difficulter patefacere possis iis locis, ubi latina quaedam nomina graecis siue additis siue omissis exhibentur ut 'foramina, [IV 648] 'sapientia, [V 10] 'fulmen, [VI 298] 'fauces, [VI 701] tum ubi Auerni significatio declaratur [VI 740] presterae [VI 426] homoeomeriae [I 834]. nimirum termini una cum ipsa re uel rei doctrina a Graecis accepti euitari non poterant, unde talia irrepsisse uerumst qualia 'aegoceros amaracinum ambrosia androgynus arteria astrologus centaurea centaurus etesiae habrotonus' alia eius generis haud pauca. uerum iis quae extant IV 1152—1161 satis probatur, graecae linguae usum ferme cotidianum a Romanis illius quidem aetatis minime fuisse alienum, quin loci istius materia indicatur, et quibus in rebus is maxime sit uersatus, et apud quales homines. itaque ne miremur, quod alias

interdum in graeca incurrimus, ut 'anademata barathrum lampas lychnus pelagus' alia haud sane multa. iam quiuis credo perspiciet, Lucretium sermoni patrio externa fere nulla miscuisse, potius purum liberumque eum seruasse omnibus iis rebus, quae ualent ad propriam et quasi natiuam linguae indolem imminuendam.